


Prot. N. 00389/2024-1222/23/I



DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Gustavo García-Siller, M.Sp.S., Archiepiscopo Metropolita Sancti Antonii, in archidioecesano Iubilaeo, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsi, a die I Ianuarii MMXXIV usque ad diem XXXI Decembri MMXXVI lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si ipsam Cathedralem ecclesiam vel quodlibet iubilare templum ab Exc.mo Archiepiscopo Metropolita ut in supplicibus litteris iam determinatum, in forma peregrinationis viserint et ibi iubilaribus ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatissimae Virginis Mariae.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilaribus celebrationibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis vel incommidis propriae vitae misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut dioecesanus paenitentiarius, cathedralis clerus, parochi et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebant.

Praesenti totum per archidioecesanum Iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XII mensis Octobris, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.

Maurus Card. Praczynski
Paenitentiarius Major

Christopherus Nybel
Regens